ſcripturarum in quo iſtam conſiderationem verſandā dicimus. his libris continetur. ut breuiter dicā. ueteris teſtamēti. xlv. noui autem xxvii. qui ſunt lxxii. Quorū omnium nomina & ſeriem. & authoritatē quia in ſuperiori libro quantum potui deſcripſi non neceſſe credimus iterare.

DE CANONE HEBRAEORVM. QVOMODO APVD EOS TRIPERTITVS EST ORDO DIVINARVM SCRIPTVRARVM. Ca. VII.

n Otandum tamen quod hebręi uetus teſtamentum Heſdra authore iuxta numerum litterarū ſuarum in xxii. libros accipiunt. diuidētes eos in tres ordines. legis ſcilicet. prophętarū. & agiographorū. Primus ordo legis in quinq; libris accipit̄. q̄rū primus eſt Breſith. qui eſt Geneſis. Secundus Eleſmot qui eſt Exodus. Tercius Vagecra. qui eſt Leuiticus. Quartus Vagetabanin. qui eſt Numerus. Quintus Eleadabarim. quod eſt Deutronomiū. Hij ſunt quinq; libri Moyſi. quos hebręi Thorath. latini legē appellāt. proprie autē lex appellatur. quę per Moyſen data eſt. Secundus ordo prophętarū. in q̄ continent̄ libri octo. quorū primus Ioſuę bennun. qui latine Hieſu naue dicitur. Secūdus Soptun qui eſt Iudicū. Tercius Samuel qui eſt Regū primus. Quartus Malachim. qui eſt regū ſecūdus. Quītus Eſaias. Sextus Hieremias. Septimus Eçechiel. Octauus Tariſtra qui dicit̄ duodecī ꝓphętarū. q libri quia ſibi ꝓ paruitate adiūcti ſunt ꝓ vno accipiunt̄. Tercius eſt ordo Agiographoꝝ. .i. ſc̄tā ſcribentiū. in q̄ ſunt libri nouē. q̄rū primus Iob. ſcd̄s Pſalteriū. qui in quīq; inciſionibus diuiditur. Tercius Maſioth. quod eſt Prouerbia Salomonis. quartus Cœleth q eſt Eccleſiaſticus. quītus Syraſirin q̄d eſt Cātica cāticorū. ſextus Daniel. ſeptimus Debreiamin. q̄d eſt uerba dierū. ideſt Paralipomenō. octauus Eſdras. nonus eſt Heſter. q ſimul oēs v. et viii. et ix. fiunt xxii. ſicut ſuperius

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſunt comprehenſi. Quidam autem Ruth & Cinoth q̄d latine dicit̃ lamentatio Hieremię. Agiographis adiciũt & viginti quattuor uolmina ueteris teſtamẽti faciunt. iuxta xxiiii. ſeniores. qui ante conſpectum dei aſſiſtũt. Iſti ſunt libri qui apud Hębreos canonicam authoritatem habent. Quartus eſt apud nos ordo ueteris teſtamẽti eorum librorum qui in canone hebraico nõ ſunt. quorum primus Sapientię liber eſt. ſecundus Eccleſiaſticus. tercius Tobię. quartus Iudith. quĩtus et ſextus Machabeorum. q̃s licet Iudęi inter apocrifa ſeparent. eccleſia tamen Chriſti. inter diuinos libros honorat & prędicat. In nouo autem teſtamento duo ſunt ordines. primus euãgelicus. in quo ſũt Matthęus. Marcus. Lucas. Ioannes. ſecundus apoſtolicus in quo ſunt epiſtolę apoſtolorum Petri. Iacobi. Ioannis. Iudę & Pauli. & liber actus apoſtolorum. et Apocalipſis. In his omĩbus libris timentes deum & pietate manſueti quęrunt uoluntatem dei. cuius operis et laboris prima obſeruatio eſt. ut diximus noſſe iſtos libros. & ſi non dum ad intellectum. legendo tamen uel mandare memorię. uel omnino incognitos nõ habere. Deinde illa quę in eis apte poſita ſunt. uel pręcepta uiuendi. uel regulę credendi. ſolentius diligentiuſq; inueſtiganda ſunt. quę tanto quiſq; plura inuenit. quanto eſt intelligentia capatior. In his enim quę aperte in ſcripturis poſita ſunt. iueniũtur illa omnia quę cõtinent fidem. mores uiuẽdi. ſpem ſcilicet atq; charitatem. cum uero facta quidam familiaritate cum ipſa lingua diuinarum ſcripturarum. in ea quę obſcura ſunt aperienda et diſcutienda pergẽdũ eſt. ut ad obſcuriores locutiones illuſtrandas. de manifeſtioribus ſumantur exempla. & quędam certarum ſententiarum teſtimonia. dubitationem certis auferãt. in qua re memoria ualet plurimum. quę ſi defuerit. nõ poteſt his pręceptis dari.